I. M. I. F.

Mesopotamia 1889

P. Tommaso Bebazian

Diarb. 11 Febbr.

Reverendissime Pater,

Anno praeterito, Paternitatae Tuae, epistolam miseram, promptum reddens ministerii et salutationis officium; nunc quoque iterum P. Tuae pro novo anno scribo. Provocatus enim sum ad scribendam P. Tuae hanc epistolam Statutis Missionis et officio meo in hoc loco, licet Superior non sim.

// Et libenter fideliterque me sapientis sententia armavi ad depellendam inutilem verecundiam et damnosum silentium resolvendum, cum utique ipsam scribendi causam, tam honestam viderem esse, tam sanctam, ut peccare me crederem, si tacerem: illud mecum scripturae reputans: tempus tacendi, et tempus loquendi. Et iterum: Ne retineas verbum in tempore salutis. Et

illud B. Petri: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem. Petis namque et sollicite ac violenter in statutis petis ut tibi res Missionis notae sint. Nos in monasterio constituti, variis hinc inde fluctibus quatimur, et turcarum et haereticorum ~~subsid~~ molestias sustinemus; tamen libertate fruimur in Turcarum imperio plus quam in catholicis orbis partibus, quae progressu moderno gloriantur, nam ad nos usque fama proeliorum et persecutionum, quas ingrati filii excitant, moventque contra Ecclesiam, pervenit.

Sed credimus in eo qui dixit: Confidite, ego vici mundum: quod ipso tribuente et praesule contra hostem diabolicum et amicos ejus victoriam consequamur. His positis, res ~~quas~~ digne notatu exponere nitar.

Mardin secta quaedam protestantium Americae invenitur, quae opere, sermone et maxime mammona iniquitatis inci-

tare et ad se retrahere mentes hominum nititur. Nunc vero protestantes divisi sunt. Nam quidam ex ipsis, diversa dogmata ut catholici in sua secta inserere optant: Plura festa celebrare, imagines venerari, sacerdotes et alias res ut septem sacramenta sublimare desiderant. Quid amplius? Sed hac de re scissi sunt. et multi abierunt retro. Imo nonnulli ex eis in sinu ecclesiae intrare meditantur, quia haec omnia, quae volunt rennovare protestantes, in Ecclesia Romana inveniuntur. Precor itaque, ut pacem, quam nobis reliquit Dominus, habeamus, et meum desiderium, mentesque eorum vacillantes Christus intueatur, tribuatque concordiam cum ipsis. Quoniam vetusto oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam et desuper contextam, minutatim per frusta discerpsit, ita Jocobus quidam cum suis fautoribus decessit ex Siris et lapsit in haeresim et inde in

mutuam perditionem. In occidente sol
justitiae oritur, Pontifex: in oriente autem
lucifer ille, qui ceciderat, supra sidera
posuit thronum suum, haeresis. Haere-
sis jacabitarum sustentabatur, sicut
aliae haereses, ignorantia et praejudiciis
contra speciatim Ecclesiam Apost. Roma-
nam. Nunc vero excaecatos oculos verae
fidei, sive cum catholicis disputantes, sive
eorundem libros legentes, aperiunt.
Quamobrem veniunt ad nos ut eos recipe-
remus in Ecclesiae sinu. Sed Superior
hospitii Mardin in faciem eorum ostium
claudat, quia non vult turbari nec one-
rari eorum sarcina, sed semper mittet
eos ad alios ritus, licet difficulter et mi-
nus desiderose aliis adhaerere cupiunt et
volunt; imo aut apud nos h.e. latinos,
aut remanemus in haeresi nostra pene om-
nes dicunt. Certe si eos acciperet, salvo ta-
men meliori judicio, post paucos annos om-
nes catholici erunt. Alia in tempore opportuno.
Incolumem Te, Ch. D. tueatur; memor mei in orationibus tuis.

honorande Pater in S.F.
Fr. Thomas de Baa[illegible]
Mis. Apost. Capucinus

Mardin 16 Jan. 1908.